



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miraculorum Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. V. Cùm Deus ob grauissima hominum delicta ira exardens, orbem terrarum funditus euersurus esset, matris precib. placatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

dem adolescentula abire coegit. Iam uerò ingressu
 rus erat templum, cum ferus aduersarius facui leo-
 nis similitudinem habens, monacum deuorare nite-
 batur. Vno autem momento aduenit Virgo, quae
 teterrimam belluam uirga fugauit. Quare repente
 uti umbra euanuit. Miser timore percussus, ubi
 à Virgine manu prehensus est, ad se statim redijt non
 aliter ac si nunquam fuisset ebrius. illum, ipsa in lectu
 comitata est, sanctissimaeq. crucis signo eius fronti
 impresso, amanter monuit; ut postea ab immoderato
 potu abstineret, ebrietatisq. illius peccatù sacerdoti
 amico patefaceret; & ad expiandum crimen, ea, quae
 ab ipso sacerdote fuissent iussa praestaret. quae fuit
 monachus, quae nã esset, qui ubi eam esse Dei parente
 rescium, sanctissimis eius pedib. se prouoluit, ut eam
 moraretur, sed Virgo statim in coelù conscendit. De-
 beret omnes, ac praecipue qui Deo religione conse-
 crati sunt, non modo ebrietatem effugere; sed etiam
 uino temperatiùs uti; quando illo uires animi, &
 corporis eneruantur, luxuriaq. coalescit. Quod si ul-
 tro facere parati erimus; nostrum erit Virginem ob-
 testari, ut hoc nobis à Deo impetret.

MIRAC. VIRG. V.

*Cum Deus ob grauissima hominum delicta ira exardens, or-
 bem terrarum funditus euersurus esset, matris precib. placatur.*

ARdentissimo animi desiderio, incredibili di-
 ligentia, & studio, ordinis sui confirmatio-
 nem à Deo, & Pontifice maximo D. Domi-
 nicus

nicus impetrare, conabatur. Noctu eam ob rem Romae in templo precationi propensissimè incumbibat. Ibi Christum seruatorem nostrum uidere uisus est, qui contra hominum genus treis hastas, quarum acutissimae erant cuspides, uibrabat, ac contorquebat. Ante filij pedes prostrata erat sanctissima parens, quae cū ipso ardentissimis precib. agebat, ut eos conseruaret, ut erga illos misericordia uteretur, quos sanguinis sui pretio coemerat, grauitatemq. iustitiae, clementia, & pietate leniret, ac temperaret. Piae parenti filius ita respondere uidebatur: non ne uides, ò Virginum decus, quàm multa in me homines foeda, & intollerabilia admittat? & quàm crudeliter quotidie me in cruce scelerum suorum grauitate iterum suffugant? Non fas est, mater, longius tot criminum poenam differre. Illa uerò, inquit, ò fili, coeli rex sempiternae, non me latet, tibi, cui omnia aperta sunt, notū esse, qua ratione miseri ad melius uitae genus reuocari, & perducī possint. Fidissimus uir mihi praesto est, qui me ex animo colit; hunc tu mittas per uniuersas orbis regiones, ut nomen tuum ubiq. diffundat; ut christianae religionis cultum per omnes gētes propaget; erranteisq. tuum ad cultum, & ad catholicam pietatem retrahat. Nunc tibi obsequi, omnino mihi decretum est; ò coeli regina, inquit filius, iramq. omnem & odium lenio, ac remitto; sed scire cupio, quinā illi sint, quos ad hominum animos conuertendos tam idoneos esse existimas. Illi Virgo D. Dominicū obtulit, quem Christus ad eam rem, aptissimum esse, affirmauit. Praeterea, cū eadem D. Franciscum ostendisset, eius in ea re industriam, & operam utilissimam

P futuram,

futuram, testatus est filius, oculos igitur Dominicus eo tempore in oblatum sibi Franciscum, quem nunquam ante uiderat defigens, postero die, eius somnij imagine, illum de facie nouit; eumq. osculans, & amplectens, sibi socium, & amicum adsciuit. Quinimò illo tempore mirabilis inter eos animorum, & studiorum coniunctionis, firma iacta sunt fundaméta; & ex exposito somnio, maximam animi laetitiã Franciscus concepit: sanctiq. uiri animo germani facti sunt.

MIRAC. VIRG. VI.

Filij animum Virgo precib. suis mollit.

Guilielmo sacerdoti, cui diuinitus coeli secreta quandoq. aperiri consueuerant, hoc etiam nunciatum est, de quo tacere nefas, ac turpe esset. Nam is totum diem precationi incubuerat, extasiq. perductus, ante Christi tribunal adstare uisus est. propè iudicis dexterum latus, Angelum, tubam gerentem conspexit, quẽ iudex allocutus est apertè, coelestib. omnib. audiētib.; iussitq. ut tuba personaret. Id cum ipse statim praestitisset, ita horribilis fuit eius sonitus, ut terrarum orbis totus contremuerit. idem ut faceret, iterum imperat. Sed pia, & misericors Virgo, ad eius pedes deuoluta, illum etiam, atq. etiam obtestata est, ut iudicium illud differret; & hominum genus misericordia sua complecteretur, ac conseruaret. Respondit filius, quotidie homines, mater, in peius ruunt, meq. ita eorum scelera cõmouent; ut nec sententiam differre, nec illis parcere decreuerim.